



LECTORI

HERMANNUS BOERHAAVE

S.



AURENTII BELLINI, Viri in disciplina medica Clarissimi, Scripta de Urinis, Pulsibus, Febribus, & Morbis, iterum in usus evulgari publicos spectas. Neque vero mireris: praestantia operis eximii ipso rerum usu sapientibus ita se commendaverat, ut exempla, vel necessitati impensa medicae, vel in ornatum bibliothecarum rapta, ubique deficerent. Licet autem prior Hetrusca editio, atque geminata Germanica, tam locupletem suppeditasset eorum supellectilem, tamen ne sic quidem comparari magis poterant. Interea loci Juventus Academica, quae Medicis navat operam, librum

* 2

hunc

P R A E F A T I O.

hunc quaerebat auide. Recte quidem! Aliis enim potius, quam hoc Auctore, careat. Flagitabat igitur necessitas, ut Illustris Viri, quotidie in privatis publicisque adeo commendati, monumenta denuo typis excuderentur. Quum vero operis pulcherrimi dignitas simul postularet emaculatae nitorem chartae, typi elegantiam, atque procurationem emendatissimae scripturae, cura fuit omnibus hisce quam diligentissime prospicere. Prioribus enim satis cautum fuit a Typographo; Atque ita fas erit deinceps majore cum voluptate animi egregium evolvere opus, commodisque adaptare cuique propriis.

An etiam necesse erit, utilitatem ejus praedicare verbis? Nequaquam. Satis semet prodit intuenti versus vel paucissimos. Imo vero satis orbi Medico dudum innotuit. Unum vere dixero: in tota disciplina Medica reperiri neminem, quem jure huic praeferas, vix unum forte vel alterum haberi, quem comparare Illi liceat. Meruit sane, vel aemulorum suffragio, laudis tam singularis encomium casta veritas, utilitasque summa, quae librum ipsum decorant. Enimvero, ut lex inviolabilis scientiarum, quae Physica edisserunt, requirit fidam rerum, omni molimine investigatarum, enarrationem, atque dein severissimam quidem ex hisce solis disputationem rationis, ita nusquam magis illud necessarium habetur, quam in Medicina. Ecquis enim aliter sentiat? nemo sane, cui animus est in rem ipsam intueri. Est scilicet Medica ars Physices immensae exigua particulâ, fateor, sed momenti profecto

P R A E F A T I O.

fecto gravissimi habetur : pendet inde vita, sanitasque hominum. Quis igitur mortalium aequo ferat animo, alias Physices partes magno quidem cum emolumento binis istis adminiculis fultas promoveri, Medicinam solum carere iisdem, aut minus certis legibus coli ? Vindicavit utique rem Medicam quam acerrime hac in parte Egregius Bellini : utpote princeps habendus inter illos, qui severitate castissima praescriptas leges observaverunt, Auctores. Id vero ipsum ne gratis dici appareat, juvat spectare propius ea, in quibus prae caeteris eximius celebretur. Magnam sane laudem Auctor bonus meruit, dum in corpore humano, cujus inquit & describit morbos, omnino nihil fingit subtilitate speculationis, nisi quod pulcherrimae Artium Anatomies demonstratione patet ; rursus vero omittit nihil, neque negligit, quod industria & fide Anatomicorum vere perspectum cernitur. Haec certa, haec una, est via, qua itur ad fidem. Hanc ideo ingressi sunt, perque eandem progressi, recentiores imitati Veterum praestantissimos Herophilum, Erasistratum, Galenum. Favet autem Belliniano in hisce genio oportunitas rarissima ; in aula quippe Hetrusca Illustres, Franciscus Redi, Marcellus Malpighius, Joannes Alphonsus Borellus, Nicolaus Steno, Claudius Uberius, Finchius, Faba, diurna opera & nocturna incidendo humana cadavera, & brutorum, praecepto, & exemplo animabant satis Tironem tum Bellinum, ut pulchra paribus passibus vestigia figens viam sibi panderet ad aeternam gloriam. Neque vero sprevit Auctor, sed legendo, spectando, incidendo, speculando, eoque nobile ingenium excoluit,

P R A E F A T I O.

coluit, ut in Anatomicis Magnus appellari mereatur. Quis enim merita eum hac laude fraudet, qui opuscula de Renibus, organo gustus, respiratione, atque ovo, acri cum iudicio expenderit. Hincque in omni parte operum, quae evulgavit, arcana quaeque Anatomies spectantur, nihilque unquam de usu partium naturali, de morbis earundem profertur nihil, nisi quod perfecte congruit verae partium, qua a natura formatae deprehenduntur, fabricae. Neque obtinere potuisset id ipsum ex vulgata secandi methodo, nisi & experimentis de composito institutis ad propositum singulare usus fuisset, quam nobilem Artis partem subtilissime etiam excoluisse ubique certe cernitur. Utinam igitur Summi Viri Scripta anatomica, quorum toties mentionem fecit, quorum tantum desiderium excitavit omnibus Bonis, juris fierent publici, cui se eadem destinatis in opere de Ovo tot diversis testatur locis! Alterum, in quo Belliniana opera excellunt, in eo quidem spectatur, quod Chemiae peritia penitissima aptum reddiderit Virum, ut se penetrare posset in indolem humorum, qui corpore humano coerciti id movent, mutant, vivificant. Examina, quaeso, attentus illa, quae de fermentis conscripsit in libellis ad Pitcarnium, invenies sane profundissimae Chemiae penetralia ita Huic detecta fuisse, ut vere modum tenuerit, quo aptissime pulchra illius inventa Medicis applicari summo cum fructu queant. Sed quid opus pluribus? quam sincera est hujus Artis applicatio, quae opusculum de Urina examinanda exornat & perficit! Verum, si bina haec, Anatomies atque Chemiae, auxilia excellere fecerunt Scripto-

rem

P R A E F A T I O

rem nostrum, tertia hifce haud temere cedit industria
 egregia, qua ex optimis, fidis, perspicacibus, diligen-
 tissimis, Auctoribus, perspicacissime, diligentissime, &
 fere avarissime collegit omnia, quae illi in causis, in-
 genio, effectis, mutationibusque morborum & reme-
 diorum observaverant. Quae dein non tumultuario
 opere, at hercle acerrima attentione animi, ex lege na-
 turae in verum digesta ordinem sic excussit, ut forte in-
 ter Scriptores Medicos difficulter ullum reperias, qui
 tantam operis tam felici successu in placitis & inventis
 Veterum posuerit. Hinc enim rarum hoc merito suo
 encomium reportavit, quod in indaganda morborum
 natura ab ipsa inceperit natura, nec fingendo, sed ob-
 servando, non mutando, sed indagando, non amplifi-
 cando, sed enarrando, apparitiones horum varias ex-
 posuerit, atque ex iis demum aggressus sit ingenium
 abditum deregere, eventa praevidere, atque invenire
 remedia. Interea tamen, licet optima haec laudes,
 aliis forte communia dixeris; id vero in quo egregie
 prae omnibus se jactare, in quo serio illi triumphare,
 licet, est quod actiones hominis sani, aut aegroti, ex-
 perimentis deprehensas, juxta inviolabiles Mechanices
 leges explanaverit ex data corporis fabrica atque dete-
 cta conditione humorum. Observavit certe tantam
 in his castitatem, ut rarissime equidem admiscentem
 deprehendas quidquam, quod a rerum natura alienum,
 precario assertum, vel ex obscuritate dubium, appella-
 re fas sit. Neque tralatitia in hifce successuum fortu-
 na fuit usus, ita vero profecit, ut ardua tentans suffe-
 cerit, dumque ex difficillimis nihil remitteret intenta-
 tum,

PRAEFATIO.

tum, pulcherrime interim ubique reportaret victoriam. Non enim in eo reperias unius, alteriusve, actionis explicationem mechanicam, structurae corporis congruam, sed vel omnium fere, quae in sanitate aut morbis apparent, phaenomenon reddit rationem veram, Legibus conformem Harvaejanis, vel ita tradit fundamenta, ut caetera inde sponte fluant, nulloque taediosi laboris fastidio inveniantur. Compendio dixi, quae Auctoris excellentia sit. Quae vero Alii hac in materia detexerunt, horum sane maximam & Illi gloriam deberi fatebitur, quisquis peritia iudicandi valet & candore. Solus quippe Hic ubique profert, quae Mechanices Legibus & circuitus Harvaejani obnoxia; dum reliqui hinc inde proferant quid, quod minus illis consonum. Vera in hisce me protulisse fatebitur, qui intento haec libravit animo. Vos igitur, Optimi Medicinae Tirones, hunc nocturnavolvite atque diurna manu, discite Auctoris Boni sensa ut vera elementa artis, atque utamini disciplina Illius ut exemplo, ad quod componatis animos Vestros, ut laboris feratis pretium, quod habetur summum, salutem humanam industria vestra promotam fuisse! Valete!

Lugd. Batav. 7. Junii 1717.



FRAN-



FRAN
PAT
VIRO GRA
ET
PRAECEP
LAU



tionem mihi e
arbitrer tuarum
tunique nominis